

La traslación del brazo de Santa Tecla desde Armenia a Tarragóna (1319-1323).

II

ACTAS DESCONOCIDAS DE SANTA TECLA, TRADUCIDAS DEL ARMENO
AL LATÍN EN 1320

(Conclusión.)

Triphonia uero cui filia iam extincta in uisione retulerat dicens ei: mater, hanc teclam extraneam et exulem loco mei tibi in natam retineas, ut uice mee filiacionis retenta, pro me preces exhibeat, cuius interuenientibus mentis ad loca sanctarum iustarum consorcium ualeam introire. Ista uisione comonita, appetitu tarditatis seposito, cum celeritate accepit uirginem liberatam. Super figuram cuius amore tenerrimo maternizans, parturiebat cum dubitatione dolorem, ne futuro crastino iterum ferocibus traderetur. Et dum tanta doloris sollicitudine uexaretur triphonia quam diligebat ut filiam, rogabat ut dominam, dicens ei: Hora tercię uicis uenit quo super filiam quam amisi lacrimas iteraui repetendo dolorem in edibus, quibus si fata dedissent, celebrare nupciarum tripudium affectabam. Rogo te, uirgo tecla, itaque, quod pro salute mee extinctę filię depreceris, ut tue oracionis interuenientibus meritis absoluatur. Quibus auditis affectibus, tecla surgens, alta uoce clamauit et dixit: Deus qui in celis es pater altissime, digneris domine triphonie iusta uota placere, ut sua filia a penis exempta premium salutis obtineat in secula seculorum. Cuius adorantis faciem cernens triphonia, piis plorabat lacrimis et dicebat: tam nobilis figura, tam placida bestiis proicietur ferocibus. Quibus uix uerbis explicitis, adhuc tenebra durante nocturna, uolens teclam conducere, alexandros comparuit, et dixit triphonie: sedet iam iudex in foro iudicii, et tota est curie sollempnitas ordinata; ffestinanter igitur trade teclam nobis, quam detines, ut sit pastus ferocibus, et esurientibus escha uite. Cuius audiens instantem petitionem triphonia, in tantum uocem clamoribus eleuauit, quod alexandros ab eius presencia se seponens, fugam subripuit, et de

loco recessit. Tunc querela preposita coram deo dicere cepit triphonia: Ecce nullius hominis auxilium, parentele mee proximitate priuata, et uiduitatis uestibus (fol. 286 v.) inuoluta, in domo mea pro filia quam amisi, tibi dolum amodo celebraui; in cuius filie compensacionem amisse et diminucionem doloris receperam mihi teclam in filiam, et quod dirigitur, senicio tristicie in supplementum; elegeram pro gaudio, et uertitur in merorem. Et dirigens sermonem ad teclam, dicebat eidem:

Quem colis deus te adiuuet, et tibi in adiutorio perseueret. Tunc uenerunt iudicis nuncii petentes teclam, ut ducerent coram eo. Triphonia uero eis eam tradere contradixit; sed per manum accipiens et fortiter retinens, properauit ad iudicium cum eadem, querulis roncinando sermonibus et dicendo: Misi filiam ad sepulturam quam genui, et te per dileccionem quesitam manualiter duco, ut in pastum ferocibus assigneris. Tecla uero prorumpens in lacrimis, emittendo cordis suspiria dicebat: Altissime, tu es spes mea, in quo permaneo et tota fiducia mea requiescit. Tu me de ignis incendiis qui saluasti, triphonie maritum graciose retribue, que erga me radicem uere dileccionis plantauit, et in sanctitate ancillam tuam perfectius custodiuit. Et repente sonus maximus et trepitus rumoris intonuit hominum trahencium bestias, et eas excitantium ad furorem, quorum aliqui generis maris et femine uociferantes dicebant: Ecce depredatrix ydolorum et etiam templi nostri. Medietas uero gencium asserebat, puod propter iniusticiam, que tecle fiebat, ciuitas deperiret, et dicebant communiter: Hic iudex nos destruit, amaritudine plenus est actus, quem cernimus nec est rationis (?) iudicium quo tecla dampnatur. Tunc accedentes clientuli, et ponentes eam in medio theadroni, membra denudantes uirginea, lumbos eius panni pecia circumdarunt. Que sic nuda permanens uirgo tecla quem mente colebat, precibus exorauit dicens: Pater domini nostri Ihesu Christi, Deus noster, tu es persecutorum auxilium, tu es pauperum sustentator, respice ancillam tuam coram tanta multitudine gencium denudatam. Deus meus et dominus meus, sis inemor ancille tue in hac hora qua ledor. Et instanter duxerunt unam ursam ferocem ualde et subsequenter leenam contra teclam uirginem permiserunt. Tunc tecla ad similitudinem ligni crucis brachia extendenti corporea appropinquans cum ferocitate leena, nolens innocentem percutere, sui medio crepuit, et uirginis cecidit ante pedes. Quod cernentes clientuli, eam ursum proteruum et ferocissimum dissoluerunt. Qui dum teclam festinaret percutere, leena, que medio creperat et iuxta pedes uirginis prostrata iacebat, surgens, in ursum potenter irruit et eum particulariter lacerauit. Urso uero taliter interempto, te-

clam perdere cupientes, liberauerunt leonem, qui erat proprius alexandri, salire supra homines assuetum. Quem leena sub pedibus teclae uirginis jacens uenientem respiciens, contra eum se potenter opposuit, et se tenenter opposuit, et se tenentes striccius iam per horam ad inuicem defecerunt altera per alterum morte data. Quod uidentes aliqui domine circumstantes ceperunt dolorosius contristari, eo quod mortua esset leena que ad salutem teclae ferocibus resistebat. Et concurrente denuo infidelium prauitate sequentes aliqui perdicionis errorem, super teclam alias quamplurimas ferocissimas bestias dimiserunt. Quas cum tecla respiceret, ad solita currens arma, extensis brachiis in sua forma corporea, similitudinem (fol. 287 v.) crucis fixit, et deum cepit humiliter adorare. Que oracione completa, post suum tergum respiciens, plenum aqua barhcile preuidit, atque baptizandi proposito festinauit.

Mulieres uero et homines scientes uenenosa reptilia in aqua predicta uiuencia, teclae cum lacrimis referebant: Noli te in barhcile proicere, ne uenenosa animalia que sunt ibi te perimant. Tecla uero eleuatis in celum manibus descendit in aquam dicens: Ecce baptizandi tempus aproximat, et hora salutis uenit. In hac igitur die ultimo me baptizo in nomine Ihesu Christi. Cuius corpus dum in undis ad lampi similitudinem radiaret, omnia uenenosa et ferocia in lacuna posita reptilia defecerunt, que super aquam faciem ascendentes ad undis in circuitu uirginis ducebantur. Tunc subito nubes quedam plena lumine clariori nuditatem teclae taliter obumbravit, quod existens in aqua nuda, induta communiter uidebatur.

Cumque ignorantes ueram iusticiam ab illatis penis illesam teclam euasisse perpenderent, orbatum lumine caritatis, disposuerunt denuo alias feroces bestias quam plurimas contra uirginem relaxare. Quod cum in teadrone mulieres astantes cognoscerent, ceperunt cordialiter lacrimari, et querimoniis dicebant altissimo: Heu Deus quid est quod in ista ciuitate fieri decreuimus. Et accipientes aliquae earum (?) resoluebant in ignem ad consolacionem afflicte. Alique uero redolencia multa et odorifera in teadrone medio expandebant. Quibus sic peragentibus, iterum feroces bestias inducentes maliuoli, super uirginem dimiserunt. Que respicientes in uirginem super terre faciem se sustinentes, in circuitu uirginis dormierunt, et eam in aliquo non leserunt. Alexandros uero cuius non poterat reconciliari nequicia, appropinquans ad iudicem, dixit ei: Habeo duos ferocissimos tauros in summa proteruitate malignos; uadam et eos ducere festinabo, atque in ipsorum medio pastum ferocium faciam alligari, ut excitati uehemencius ad furorem, teclam interimant assistentem. Cui iudex

annuens dixit ei: uade et quod tibi placuerit, ad libitum exequaris. Et cum fecisset alexandros tauros adduci, teclam de medio ferocium extraxerunt et in medio taurorum eam ligantes in pedibus, spicos ferreos accendebant taurorum tibiis apponentes, ut tanto ferocius insurgerent in ligatam, quanto seuius ignis incendiis lederentur. Tauri uero licet cruciarentur incendio et furore in se ipsos uexarentur non modico, in uirginem non tangebant. Igitur ex appposito igne eorum tibiis flamma progrediens combussit ligamina quibus membra uirginis artabantur, et surgens statim tecla de medio ad partem taurorum resiliendo se transferens, in nullo lesa constancius residebat. Quod cernens triphonia ante portam permanens teadroni, exclamauit subito et cecidit semiuia. Quam uidentes omnes qui aderant, proprias laniantes uestes, ceperunt fortiter lacrimari dicentes, ad inuicem: Heu quia mortua est ista domina. Et tunc tremuit tota ciuitas pre timore, cuius spes timoris non extitit alexandros. Et transferentes se ad presenciam iudicis dixerunt eidem: miserere nostri et gentis ciuitatis istius; hanc grauatam infortunio libera, et ei uolenti recedere non resistas; ne (fol. 287 v.) forsitan ciuitas hec perdatur. Cui propter huius nostras operationes decernimus periculum imminere. Ecce triphonia que de parentela cesaris procedebat, dum ante teadroni portas existeret, subito cecidit expirata.

Tunc iudex dixit: adducite teclam huc. Et seruientes de medio bestiarum tollentes eam, coram iudice presentauerunt. Et iudex alloquebatur uirgini dicens ei: quenam es mulier, quod fere bestie tibi appropinquare non audent? Cui dedicata christo uirginitas respondebat: Uobis loquor, iudex; et coram uobis uniuersis astantibus: Ancilla sum Christi filii Dei uiui, a quo prouenit quod fere bestie me non ledunt. Ipse enim ordinator uiuentium; persecucionem sustinencium consolator, confortator ueridicus, et desperatis omnibus spes et uita. Cuncta faciens in me ancillam suam, que uidistis miracula; quod bestiarum ferocitas me confundat non patitur; cuius quidem potencia tanta gracia sublimitatis extollitur, tanta clemencia ad subditos inclinatur, quod in eternum habentes in eum fiduciam non peribunt. Iudex uero dulces uirginis sermones intelligens, quandam uestem ferri precipiens assignauit uirgini, dicens ei: Remoue lintheum quo permanes inuoluta, et quam tibi largior presentem uestem te induas. Tunc iudici dixit tecla: qui in medio ferocium uirtute propria me uestiuit, in die iudicii uita me (1) induet: Et aiecto lintheo celauit membra cum exhi-

(1) Al margen *aliter* (?).

bito uestimento. Tunc iudex in presencia populi taliter fari cepit: deus liberauit teclam, et eam uobis exhibuit. Homines uero in teadrone comuniter residentes, glorificabant deum, subleuatis uocibus ad clamorem dicentes: unus est deus tecla, qui saluans eam de medio bestiarum ferocium liberauit; et a uoce clamantium, ciuitas uniuersa contremuit. Et euntes alii denunciauerunt triphonie, quod tecla erat a ferocibus liberata. Triphonia uero hoc audiens, illico ueniens inuenit teclam et eam cepit amplexibus osculari, appellans filiam quam natura non dederat, pro qua dolorem partus non senserat; dicebat eidem: Existimo filiam iam extinctam uiuiscere, postquam te uideo, tecla, saluam. Adeamus igitur, filia, domum nostram. Appeto quidem tibi bona mea uniuersa describere. Cum qua tecla iter continuans diebus octo in suis laribus requieuit. Quam docebat continue precepta dei cognoscere, et cognita custodire. Et conuertentes plurimos ex ancillis triphonie, magna celebrata leticia, mentes erroris obscuratas caligine doctrina fidei clariori purificans illustrauit.

Et quia desiderio trahebatur, sue salutis causam, Paulum, quem multum diligebat apostolum inuenire, per uniuersa loca eum misit aliquos ad querendum, ut inuento et scito sue residencie loco, ad eius presenciam mora postposita festinarent. Et redeuntes quos miserat, expectanti solliciti retulerunt, quod in ciuitate Merofi apostolus permanebat. Quorum relaciones tecla concipiens, uirili habitu a triphonie laribus recedendo, plures hominens ducens secum et aliquas ex ancillis triphonie, ad ciuitatem Merofim sollicita festinauit. Quam diligenter ingrediens, inuenit apostolum precepta dei efficacissime predicantem. Et dum ad se appropinquantem teclam Paulus respiceret, existimans fore sinistrum aliquod quod uellet eum temptationibus infestare (fol. 288 r.), a gressu admirationis non modice perterritus subsistebat. Tecla uero dixit apostolo: Tecla sum, paule, que precepto signioris (?) illius qui te ad predicandum constituit, me ueraciter baptizauit. Tunc surgens apostolus ad domum hermosi teclam cum sua societate recipiens introduxit. Et dum omnes pacifice residerent, cepit tecla que deus sibi fecerat, recitare. Cuius sermones Paulus intelligens admiratur de uirtute non modicum diuinitus tecele data. Omnes uero qui aderant, audientes que tecla dicebat, et que deus fecerat pro eadem, confortati fidei, efficacius in uirtute surgentes glorificare ceperunt altissimum, et comuniter collaudare, quia diebus singulis sua demonstrare miracula in gloria credencium, et sua precepta seruancium delectatur. Et audientes quod triphonia suum integralem

amore in tecla posuerat, et ancillam dei in sanctitate seruauerat, deum pro salute ipsius diligencius adorabant.

2
1. 9
304. 1.1
1.2
Tunc tecla dixit apostolo: uolo ad ciuitatem coinie remeare. Cui apostolus assenciens inquit: uade, et precepta dei, uerbumque suum procurabis exprimere per doctrinam. Audiens uero triphonia quod tecla ad ciuitatem coinie properabat, magna quantitate rerum et pecunie capiens, misit ei. Tecla uero partem auri et robam oblatam recipiens, transmisit apos'tolo, ut inde egentes uiduas et pauperes sustentaret. Et accedens ad ciuitatem coinie, honociferi domum ingrediens, faciens (*sic*) super locum illum imposuit, in quo dei precepta docens sanctus apostolus tempore sue captiuitatis sedebat, dicens: Dominus noster et deus nacionis istius in qua Jesu Christi extiti illuminata splendore, qui me in carceribus iuuuit, et medio bestiarum ferocium, et ab ira iudicis liberauit, concedens mihi donum saluacionis baptismum, ille idem dabit mihi in seculorum secula sanctitatem, ut ad beatitudinem seruata mihi et omnibus qui Christi precepta custodiunt, ualeam peruenire. Quia ille est deus meus qui sedet in sede cherubin, cui sit gloria in eternum.

1.3
1.4
1.5
1.6
1.7
1.8
Quae post tanta miracula quae deus fecerat in eadem, inuenit in ciuitate predicta Coinie temerosium qui eam disponserat, a seculo transmigrasse. Matri uero teclae, quam uiuentem inuenerat, de ipsius salute sollicita filia referebat. Mater si credere poteris quod unus solus sit Deus noster, et altissimus dominus qui residet in excelsis, saluari poteris a gehenna; set si uis aurum et argentum diligere, et res tempore perituras, perdicionis flamma te sequetur. Ecce iam es amonita credere quod unus sit deus in celis qui habitat, et non est alius preter eum, qui me iuuuit et dedit uirtuosam pacienciam sustinendi. Nam quemadmodum cernis me ab ignis incendio, et ferocibus bestiis, et iudicis facie liberatam sibi quod credidi; ita si poteris affirmare et custodire quae doceo, saluari poteris a gehenna. Hec omnia ostendens in testimonium matri suae, egressa est de ciuitate Coinie, et annuncians nostrum Dominum Jesum Christum, faciendo signa multa et uirtutes magnas in populo, omnia non sibi, set domino tribuens, ad Christi fidem multos introducens, loca diuina et plurima circuiuit; quae taliter in ciuitate coinia ab ignis exempta feruoribus, a furore bestiarum ferocium non percussa; a tauris illesa, quibus innodata durius, ut ad (fol. 288v) sagittam signum erat opposita a diuersis amaritudinibus uenenosorum reptilium in antioqueta inanencium non ingrata. Post uiaium quod a ciuitate siue ligmiare in qua apostolatam et predicandi preceptum ab illuminatore totius mundi paulo recipiens, mansit aliquo tempore cum

eodem: et sollicita uerbum fidei Christique precepta mortalium cordibus inodare cupiens, ad plures ciuitates se transferens, denuncians Christum, quem diligebat tenerrime, transeundo per ciuitatem coinie, locum felefi personaliter introiuit. Cuius loci non partem, set totum, non unum set omnes mortales inueniens prauitate pagana fedatos, in magistra ciuitate saurie, ubi multitudo paganorum erat elencium tempore, quo uiolencie prauitas et persecutionis temeritas illo regnabat in loco timoris uilitate seposita, et promptitudine salutis assumpta; congregatis erantibus, uerbum uite maxima (?) est secundum preceptum apostoli predicare, que fortis cordis et constans cum eis Christum et eius premia preparata fidelibus nuncians, cogitauit et cogitando disposuit et disponendo peregit. In illius partibus (1) habitare et montem ascendens, critam quandam in saxo montis inueniens, illuc locum sue habitationis elegit; cuius loci una mutina in quo presenti tempori fontana lucidissima reperitur. Itaque uirgo dedicata Deo in numero electa fidelium quibus est ordinata inamisibilis requies et gloria incorruptibilis preparata, de loco tam solitario, omni corporis comoditate priuata corporis, die quolibet egrediebatur dominico, et radices uiridentes herbarum siluestrium sue sustentacionis ebdomedana fercula colligebat, cibi cuius asperitas in gule appetitui reprendebat: hic uirginem accusabat a debito et calcitrosi maliciam refrenabat: hiis in talibus sustentabatur spiritus et inimici caliditas uincebatur, per has dampnacionis pellebatur incendium et salutis premia parabantur.

Quadam uero die dum tecla siluestres herbas in monte colligeret, presbiter ydolorum, qui erat de ciuitate quadam, que una de ciuitatibus seleurii, que gabadelius nomine uocabatur, eques ad sumitatem montis se transferens, uirginem casualiter cernens, scandalizatus in ea et a scandalo superatus, cepit festinanter currere uersus illam. Cui appropinquans nefarius, non catholica sed peruersa, non honesta sed turpia, non casta set fetida uerba dixit. Requisitionibus cuius uirginis puritas contradicens, et miraculoso immaculata resistens, requirentis proposito contradixit. Tunc presbiter sublata manu nolentem contradicentem percuttere. Turbata tecla, non ira odii set uirtutis, non furore set ardore celesti replēta manibus diabolicis asignauit; qui eum super terre faciem ab equi sumitate deiciens tam durissime flagellauit, quod ex tormentorum angustia os eius amarius banizabat. Qui reasumptis aliquialiter uiribus, cum amaritudinis doloris et pene ad domum propriam remeauit. Quod per trium dierum curricula cru-

(1) Desde aquí es todo nuevo; no se encuentra en las Actas publicadas.

ciatum pasme totidemque noctibus tolerauit. Et interim omnes de contracta saurie, de re que presbitero contingerat amirati, eo quod illis temporibus notus et honorabilius habebatur, sic iacentem respicere concurrebant: presbiter uero suas penas considerans, cogitabat, quod uirgo quam uiderat et contra quam deliquerat, esset una protinus ex deabus: cuius occasione delicti (fol. 289) irati dii contra proteruitatem ipsius tam enormiter processissent, et quod extra condempnationis summam debebat ab eorum iudicio reportare. In cuius doloris perplexitatem presbiter perseuerans, pictorem quendam fecit ad suam conuocari presenciam, et dixit eidem: uade et quam cicius melius quam tibi possibilitas ederit, ymaginem cuiusdam gracilis et speciose puelle, XVIII. annorum etatis habentis, modicum plus uel minus, pingere prouidebis: cuius facies sit ita pulcherrima, sicut posset per aliquem excogitari uel dici: que in suis auribus duos annulus auri contineat; cuius collum fazolo coopertum appareat: quia secundum quod possum uerius sic apparuit illa mihi. Quam cum pretor complisset ymaginem, sancti spiritus cooperante uirtute, nullo asistente defectu, per totum similis erat tecele. Et cum presbiter inspexisset: hec est inquit imago ueraciter illius uirginis quam preuidi. Et cum consolacione resurgens amplexus est eam. Et iussit in sui thesauri camera custodiri. Et errore statim seposito, cor suum ad apostolice sancte predicationem convertit. Que quidem ymago cuidam philosopho setriensi magne sapiencie homini qui uocabatur stacheus, extitit postea presentata: qui uirtute obumbratus imaginis christiani fidei uoluntarius acceptauit. Post cuius mortem et ab ei ymaginem patefactam sacristanus templi ad honorem beate tecele composita parabat cunctis uolentibus exemplare: et ad hoc quod uerbum apostolice multorum redeat ad salutem per totum extitit cognita. Et concurrrens ad eam infirmi contractique ueraciter sanabantur. Et dum semel puer quidam, filius unius de capitaneis ciuitatis, ab uno maligno spiritu uexaretur, erat quia contractus, quem quedam mulier in ciuitate misioni habitans nutriuerat, uideretque beate tecele uirtutes, per quas infinita desideria complebantur, duxit puerum contractum ad uirginem et ante pedes eius cum deuotione proiecit. Quen amplexens tecla, oracione perfecta signans signaculo ihesu christi, sue nutrici tradidit liberatum. Tunc aspectus diabolici uexacione mundatum, et a uicio contradiccionis saluatum nutrix recipiens, cum ingenti gaudio innumeris conspectui presentauit.

Mater uero de filii sospitate ammirata non modicum, fecit omnes consanguineos congregari, ut super beate tecele miracula festum leticie celebrarent. Qui perfecto gaudio cum maximo mentis affectu ad sancte tecele

presenciam accessiuit. Tecla uero predicabat eisdem et secundum quod apostolus sibi preceperat, euangelium saluatoris docebat. Mater uero pium uiro in antioqueta moranti literis intimauit, ut uidere apostolissam et protomartirem inter mulieres ceteras teclam premissis omnibus prepararet. Qui non tardans uxoris adquisicionibus assentire, festinanter iuxta suam requisicionem accessit. Et dum teclam respiceret sui statim noticiam comprehendit et dixit eidem: Nonne uos estis illa que in anthioceta contra feroces bestias pugnauistis? Sum itaque dixit illa. Quomodo ergo ab ipsorum ferocitate et taurorum furore, quibus ligata eratis aposita et a ueneno reptilium in brachili manencium euasistis?: cum huc uideam nos uenisse, uehementer admiror. Cui tecla implis predicans euangelium Christi, dixit: uirtute Dei mei, qui celum et terram fecit, mare et omnia que habitant in eis. Tunc tecele predicacionis consensciens ferus extitit Christianus, quem in antioqueta direxit tecla ad paulum apostolum, ut sibi unum sacerdotem transmitteret, quia ibi Christi erat ecclesia, et primo, secundum quod in apostolorum actibus inuenitur, uerbum Dei extitit predicatum, et uocati fuerunt pristinus christiani. Iuxta cuius mandatum sacerdos per circum nericium petitus accessit. Tunc patrem pium et omnes de domo sua annuente spiritus sancti gratia baptizauit. Et Deo baptizatus presbiter liberatum filium obtulit et donauit. Tunc tecla cum presbitero sibi misso quadam in ciuitate hedificauit ecclesiam, que sancta erina nominis impositione uocatur; cuius ciuitatis maior pars hominum credencium in nostro domino Ihesu Christo illuminante oculos benigne et non immaculati populi extitit baptizata.

Tecla uero in caua sue mansionis persistens, etenorum populum infinitam maximis miraculis illustrauit. Postmodum uero mutans se de cauer-na predicta et extra ciuitatem egrediens, ad montem uocatum uetus salefacum, et etiam calameos, qui interpretatur canais, se transtulit: ubi multa miracula faciens, plures debitos ydolorum seruiciis, ad Christi fidem homines et mulieres conuertit; faciens omnes a presbiterorum manibus baptizari. Hic ab omnibus preposito Christi nomine demones expellebat. Hoc infirmos suis orationibus liberabat; vnde medici in salefoco positi, ab arte propria sine aliquo comodo lucratiuo ociosi uacabant: cuius aduentum et miracula que fiebant, dum habitatores regionis illius nobiles et egregie domine audientes preterunt, aporpinquantes ad eam uerbum uite et Christi doctrinam audius adiscebant. Itaque in predicta caua calomeonis, que galamiam erchiane appellantur, terrenis renunciantes deliciis, in castitatis uirtute et abstinencie magne uita uiuentes cum tecla uirgines remansse-

runt. Fflama uero sue benignitatis crescebat continue, et gratia sue curationis per totam habitationis contractam in tantum exilit exaltata quod quum infirmi contractique ante caue ipsius hostium ducebantur, nullo adibito apperendi labore, set firmatis hostiis incluse meritis sanabantur. Demones uero statim ab hominibus recedentes, clamabant alcius et dicebant: Cur ante tempus nostrum uirgo nos crucias. Et totaliter sicut dixi, nullis medicis indigebat, sed ars eorum erat ab omnibus uillipensa. Ad hanc enim tot dotata muneribus, tantis adornatam graciaram fulgoribus, de longinquis terris infirmantes grauitur habentes, quia demones ducebantur, quorum capiti suas manus sacratissimas apponendo, uirtuose orationis suauissimis uerbis suis cum sospitalis obtentu licencians, ad loca propria remittebat. Qui laudantes et glorificantes omnipotentem Deum cum leticia ad propriam remeabant. Pabolani uero de uirtute uirginis turbati, ancille christi contradicebant inuidia et quodammodo desperati, quod exercicium lucrationum inrequisiti perdiderant, peruersas fraudes aduersus in noticiam cogitabant.

Vnuſ uero de capitaneis ciuitatis habens filiam XXIII annorum etatis, teonilla uocata, que a sue natiuitatis tempore, tam dure contraccionis angustiis uexabatur, quod nullam ambulandi possibilitatem haberet, unde genitores confusi dolore, et pro nimia conturbati tristicia, in aduersitate natali stupentes, ad inuicem referebant: cui bona nostra legabimus? Et quis nostro extremo die nobis erit successor et heres? Ecce uentris nostri primogenitus fructus infirmitate comprimitur; per quam redditur inutile ad uiuendum. Tunc adriana mater puelle (fol. 290) commemorans eorum que audierat de miraculis per beatam uirginem in caua manentem factis, dixit uiro: habeo uobis unum uerbum miraculosum referre. Audiui per aliquos quod uirgo in caua illius montis habitans, multa fecit miracula et a pluribus infirmitatibus liberat et restituit sospitatem; adeamus ergo cum primogenita nostra ut sua ualeat oratione sanari. Cui uir, perclianos nomine, respondit et dixit: Scire debes mulier quod sum unus de capitaneis ciuitatis. Unde est quod ualde timesco locum sue residencie uisitare, quia ut mihi uidetur uirgo est galiana, ad quam si uiuimus, in ciuitate contra nos maximum scandalum orietur, et essemus ad combustionem dampnati. Sed faciamus apponi puellam super quandam lecteriam, et hora nigra ad uirginis presenciam deferatur. Et factum est sicut ordinauerat proclianos. Apropiquantes uero ad cauernam cum filia, presenciam teclae uirginis requirebant. Quibus tecla respondit et dixit: adsum. Qui subleuantes de lecteria iacentem filiam, uirginis pedibus subiecerunt, et pro-

sternentes se humiliter genitores rogantes eam, dicebant eidem. Miseraris unice primogenite nostre que miserta es plurimum quos a uanis infirmitatibus liberasti: funde preces Deo tuo ut nostra filia sanitatis beneficio reformetur. Tunc uirgo piscatrix sollicita cupiens salutis in suo reti predictos includere, dixit eis: Si baptismi et formam et Christi caracterem recepistis, exprimate. Nam non sit nobis credulitatis opinio, quod ego sim miracula faciens: ymo Deus qui in celis habitat, et prospicit humiles facit ea. Set si uultis quod uestra filia liberetur, caracterem Christi recipiat, et inmediate de baptismi fonte prosiliens in sospitate corporea liberata, ueraciter gradietur et palpabit liberis manibus uniuersa. Cuius sermonibus puelle mater affectu grandi mentem accomodans habere filiam signum crucis super se respiciendo cognouit. Qui statim fuerunt sub pedibus uirginis baptizati, ducentes eidem. Si misericordia digni sumus super nos fiat uoluntas tua, et compleatur ad uotum. Renunciabimus satalias, et tuo Deo erimus nos uniti: uirgo uero Tecla fidem Christi Ihesu et saluatoris euangelium docens eos, presbitero precepit ut conuersos ad fidem in Patris et Filii et Spiritus Sancti nomine baptizaret. Tunc baptismi sumpto caractere, sanctoque oleo filia puella linita, suis membris omnibus curata de fonte progrediens ambulauit. Qui taliter conuersi ad fidem apostolicam retinendo cum grandi gaudio et mentis leticia una cum filia ad ciuitatem propriam redierunt.

Ciues uero audientes hec omnia, que tecele meritis agebantur, reddabant gracias altissimo creatori, clamantes atque dicentes: Excelsus christianorum Deus qui talia miracula magna facit. Quod audientes felefi medici qui manebant, maioris malignitatis inuidia prouocati, iram maximi furoris accensi, inierunt consilium, et male atque audacis uite conuocatis hominibus et inebriatis eisdem, existimantes ydolorum deam fore uirginem mandauerunt ut euntes, eam uiolenti fornicacione corrumperent; et sic uirtus cessaret illius. Illis uero euntibus ad cauernam et percucientibus fore caue, intus permanens, dixit uirgo: Ad quid uenistis. Ipsi uero responderunt eidem. Nos uenimus ut tecum ad invicem fornicemus. Statim uirgo extendens manus proprias versus celum, Dei potenciam ut saluaret eam ab eorum inmundicia rogauit. Tunc de celo uox quedam perueniens dixit ei: Tecla uero ancilla mea, ne timeas quia tecum sum: saxum quod ante te est scindetur in medio, et tu in eo personaliter introibis, et ibi providebo tibi. Et prospiciens, uidit scissum saxum et fugiens versus illud festinatus introiuit, et statim fuit saxum taliter solidatum quod nullum signum exterius apparebat: pagani uero currentes post eam, partem fazoli

sui capitis que extra saxum in testimonium videntibus remanserat, acceperunt.

Hec igitur virgo dilecta Deo sue vite terminum taliter adimplevit, septembri die XXIII mensis, quo prothomartir sancta et apostolica Christi tecla cum primo ab ore pauli apostoli verbum salvacionis audivit annum XVIII possidebat. In martirio vero conversione et itinere proprio ad silvas et saxa moncium discurrendo, LXXII annorum curricula pertransiit; cuius omnibus computatis fuerunt anni veraciter XC. Transacto vero aliquo tempore, sollicite imperancium iussiones Christi, salutiferam florescere fidem et christianitatis sacramentum augere non modicum, cupientes per vniuersa loca perquirere et invenire sanctorum reliquias idolatrici timore absconditas secrecius mandaverunt. Quas atencius inquirendo, requisitas inveniundo, inventas congregando, congregatas conservando, conservatas custodiendo, providencius honorabant.

Greci vero qui dominabantur Silicie, beate tecele reliquias invenire affectionem maximam cupiebant, et super invencionem earum tanquam super ipsorum sancte matris et catholice regni caput diligenti cura et provisanda custodia mentaliter collectari, ut invente et habitante per eosdem devocioni deditos eorum affectibus propria ad vocationis virtute in conspectu divine potentie subvenirent. Qui in tam grandi perplexitate degentes, viam seu modum escogitari non poterant, per quem desideratas valerent reliquias invenire, eo quod essent precepto dei propter infidelium pravitatem saxi visceribus intercluse, quibus sepius oraciones gerentibus et preces sedenti porrigentibus in sublime, ut eis locum sancte continentem reliquias omnimodo graciosius dignaretur. Cum ipse sit qui iubet querere, et querentem reperire, quesita firmiter polliceatur, iustas preces exaudiens, et sibi placidas non recusans, patriarche loci per sanctum revelavit visibiliter angelum, quod super montem illum ascenderet, et ibi a divina clementia humiliter postularet quod eorum cordis desideria sibi affectatas invenire reliquias eis concedere dignaretur. Cuius relacionis percepto misterio, universum clerum cum maxima multitudine populi prelatus studuit mora postposita congregare, cum quibus omnibus adunatis, patriarche devocio ad demonstrati loci sumitatem ascendit, qui versus faciem saxi stantes, ieiuniis atque vigiliis humiliantes se ipsos, tribus diebus totidemque noctibus effundendo lacrimas a creatore celi, secreta qui publicat, affectum mentis et obtata dona tota possibilitate spiritus impetrarunt. Et post predictorum trium dierum lapsum, cepit locus, membra virginis continens, submoveri et scissus est lapis in medio, et apertus est mons atque intuen-

tibus visibilibus cunctis (fol. 291) astandibus cum redolentissimo consolationis odore universam regionem implente, tecele dextera coniuncta cum brachis usque ad lacesti iuncturam de saxo progrediens, devote querentibus se concessit. Tunc prelatus adpropinquas ad lapidem, manus cum maxima humilitate mentis extendens, suscepit honorifice brachium miraculose concessum, et continue monte reclauso, consolidatus est lapis sicut primitus permanebat, adeo quod nullius poterat intueri cognicio excisure signum aliquod in eodem. Tunc patriarcha cum universo populo qui erat cum eo, accensis cereis cum odorifero turis odore et reverencia maxima donum eius divinitus erogatum ad civitatem scilicet deferentes, recondentes id in honorabili loco quodam, magnum spaciosum eo venerabile templum ad reverentiam virginis et eius nomini construxerunt. Illaque itaque die in curacione languencium infinita fuerunt miracula demonstrata et cotidie Dei gloriosa gracie visibilibus ostenduntur.

Postquam vero armenii, de propriis se moventes hospiciis, et a regno magno armenie que est in pede montis sarcade, super quod archa noe quieverat uenientes terre divinum de grecorum manibus abstulerunt, qui dexteram sancte virginis reperientes predictam, cum aliis quas habebant reliquiis, in thesauris regalibus conservabant. Post Christi vero passionem, ut dicitur quidam fidelissimus princeps rex aragonie antiquitus quandam catedrali ecclesiam in civitate tarrachone ad honorem virginis protomartisse tecele fundavit. Quo quidem aragonie regno ad sanctissimum gloriosissimum principem, et virtuosissimum regem Jacobum devoluto, qui se contemplacione divina uirginis tecele devocioni subiciens, predictam fecit ecclesiam renovari, et cum maximo et precordiali affectu beate tecele aliquas invenire reliquias concupiscens, ut eas in predicta ecclesia ad sui memoriam collocaret, cogitacione perpendens quod beata tecla in Adriam maris partibus dormiebat, ubi sumpserat nacionis initium, et uitam suam in pede montis doros in partibus saurie furiendo, quosdam suos fideles servitores ambassiatores instituit. Quibus in mandatis imposuit ut adeuntes ossinum, benignum regem armenie, ab eo petere procurarent quod sue devocionis regalis aliquas reliquias virginis largiretur. Qui nunciorum ambassiatam recipiens amicabilem zelo ductus, beate tecele fecit reverenter dexteram aportari, eam accipiendo de loco in quo, tanquam nobilis et preciosus thesaurus servabatur, et in quo dei gratia miraculis reflorebat. Que, licet esset necessaria ad regnum custodiendum armenie, amorem tamen maxime familiari christianitatis allicitus, ut inter ipsos reges amor persistens et positus augeretur, et eorum ligamina multiplicarentur amoris,

decus (?) quia rex armenie, mente volvens verbum dominicum quo cauetur petentibus vobis date, et non reddatis eos retro; excogitans etiam in corde suo quod sanctorum gracia non consistebat in loco, nec seponebatur ab illis qui eos cum devocione requirunt, ambassiatorum petencium et quorundam armenium suorum fidelium eis in societate victorum adferendum et honorandum dictas reliquias prout digne iuxta spem regum merebatur, eorum manibus assignavit, ut honorifice sic delate perdurabilis esset memoria. Et duobus predictis regibus illustrissimo suo domino Jacobo, inclito aragonie valencie, sardinie et corsice regi, atque illustrissimo domino ossino, fidelissimo armenie regi, coram Christi potenciam in die iudicii illustrissimo advocatrix asistat. A Christo igitur taliter honorata, suis mentis virgo beata armenie regnum quo nostram passionem sustinuit et sue vite terminum adimpleuit atque regnum aragonum ad quod fertur ut habitet in tranquillitate pacis suis dignetur meritis custodire.

Hec beate tecele legenda que erat armenicis scripta uerbis, de mandato serenissimi regis armenie supradicti per manum nicolay de rays notarii prefati domini regis et per aliquos religiosos armenos in villa nova tacuorossense, quod in tempore opus regis ossini extitit in latinam literam translata, in ultimo et flebili statu Christi annorum citra marinorum anno a nativitate domini MCCCXX die XX mensis aprilis.

Z. GARCÍA VILLADA.

